DE NERIO▸ CAP▸ CCIIII▸

NOMINA.

Oleander.

Rhododaphne cur dicta.

NHPION, ἡ ῥοδόδαφνη, ἡ ῥοδόδενδρον Græcis, Nerion & Rhododendron Latinis, officinis & barbaris Oleander, Germanis Olander dicitur. Rhododaphnen autem Græci dixerunt à roſæ floribus & lauri folijs, quæ fruticis huius præcipuæ ſunt notæ. Nec refert quod Dioſcorides amygdalæ folijs eius folia cõparauerit, lauro enim & amygdalæ nõ diſsimilis magnopere foliorũ figura eſt. Fecit idem roſæ flos & arbor, ut eadẽ gens Rhododendrũ nominauerit.

Rhododendros quare.

FORMA.

Notus frutex, amygdalæ longiora & craſsiora folia habens, florem roſarum figura, fructum amygdalæ ſimilem, ueluti cornu, qui dehiſcens lanea natura plenus eſt, pappis acanthinis ſimili. Radix illi eſt acuminata, longa, lignoſa, guſtanti ſalſa.

LOCVS.

Naſcitur in hortis, maritimis, & ſecundum amnes locis.

TEMPVS.

Quo menſe floribus & fructu prægnans ſit Nerion, non ſatis conſtat: neque enim uel flores uel fructus eius nobis uidere licuit. Hinc eſt quod etiam pictura quam exhibemus ijſdem careat.

TEMPERAMENTVM.

Neriũ Arabes calefacere in principio tertij ordinis, & in ſecundo ſiccare tradunt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Flores & folia canes, aſinos, mulos & quadrupedes plurimos enecant: hominũ uerò cum uino pota contra uenenatorũ morſus præſidia ſalutaria ſunt, præſertim ſi rutæ cõmiſcueris. Infirmiora uerò animantia, ut oues, caprasq́, ſi aquam biberint in qua folia eius maduerint, moriuntur.

D

EX GALENO.

Nerium aut Rhododaphne notus omnibus eſt frutex. Foris quidem illitus diſcutiendi uim obtinet. Intrò autem in corpus aſſumptus, pernicioſus ac uenenoſus non tantum hominibus, uerumetiam pleriſq́ pecudibus.

EX PLINIO.

Rhododendros ne nomen quidem apud nos inuenit latinum: Rhododaphnen uocant, aut Nerium. Mirum, folia eius quadrupedum uenenum eſſe, homini uerò contra ſerpentes præſidium, ruta addita, & è uino pota. Pecus etiam & capræ ſi aquam biberint in qua folia ea maduerint, mori dicuntur.

DE OXYACANTHA▸ CAP▸ CCV▸

NOMINA.

Berberis.

Oxyacantha unde dicta.

OΞYAKANΘA Græcis, Oxyacantha Latinis, officinis Berberis, Germanis Paiſſelbeer / Saurich / Erbſel / Verſich uocatur. Hauddubiè Græci à ſpinarum acuminatis cuſpidibus Oxyacanthan dixerunt.

FORMA.

Sylueſtri pyro ſimilis arbor eſt, ſed minor & nimis ſpinoſa. Fructum fert Myrto ſimilem, plenum conferctúmue, rubentem, fractu facilem, intus nucleos habentem. Radicem multifidam & altam. Huius deliniationis notę, nulla prorſus reclamante, arbori quam uulgò Berberim barbara uoce nominant, adamuſsim reſpondent. Nanque arbuſcula eſt pyri ſylueſtris aſpectu, ſed humilior, ramis ex interuallo ſpinoſis, folio lentè per ambitum aculeato, acinis rubentibus, in pediculo iuxta & racemo pendulis, guſtu acido & ſubauſtero, duobus intus granis, radice numeroſa.

LOCVS.



OXYACANTHA